




Solâ imputatione obedientiæ Christi
peccatores iustificantur ad salutem.

VNius ob noxam, & morsum infælicis Adami,
Omnibus ad cœlos invia facta via est:

Perdita res exindè, & desperata nepotum,
Nescia iam lapsis rebus adesse sibi,
Poscit ut infami CHRISTVS cadat hostia ligno.
Hostia quæ placidum reddidit una PATREM.
Imputat hic meritum, simul expiat ille reatum:
Iustitiam quisquis non habet; inde ferat.
Hinc secura quies animi, & pax alta resultat,
Scire DEVM pœnas sustinuisse tuas.
Ergo quid hoc dicam quod homo sua gesta pererrat?
Et numerat sordes in sua damna, caro?
Crede mihi, nihil est quod læsi numinis iras
Molliat; in nobis multus Adamus inest:
Et censoria LEX, & non violabile pactum,
Criminis assidui postulat esse reos.
Si quid agant homines quod SPIRITVS ipse ministret.
Non erit offenso victima sufficiens.
Purior electro turpem petat vnda canalem,
Contrahit hinc cœnum, turbidiorq; meat.
Ergo cruci, & Christo meritò omnis gloria surgat,
Ni foret inde SALVS, non reparata foret.

Vnius ob meritum, & mortem miserentis IESV,
Invia cœlorum pervia facta via est.

Fidelis ex fide certus esse remissio-
nis suorum peccatorum & potest & debet.

SVspirat quicunque thronum, quà DIA rosante
GRATIA perpetuum spargit odore iubar,
Inque suo credit gratis sibi pacta SEQVESTRO:
Se credat iam non ampliùs esse reum.
Scilicet admissi credens fit criminis exors,
Nec rudis esse pius credulitatis amat.
Nam quibus altè animum donis PATER imbuit; intùs
PVRIOR, irradians desuper, AVRA docet.
PRODIGA quinetiam venturi PACTIO sæcli est.
Non operum meritis; nititur illa fide.
Cui totum tutumque potes te credere: tantùm
Cor Deus hortatur fœderis esse capax.
Nec pepigit tantùm: se sed iuravit; & illum
Quis tàm cordis inops insimulare doli?
Adde quibus sit cunque FIDES assueta vocari
NOMINA, quæ nobis spem posuere ratam.
Insuper & DIÆ signum in nos pressius AVRÆ
Cuditur: vt, quâ stet firmior, arrha, fides.
Additaq; externo sua sunt MYSTERIA verbo;
Participes, certos fœderis vt faciant.
Indubitata dein fidei dubitatio mors est,
Spe cùm libretur pendula, cùmque metu.

Ergò remissa sibi sua iam peccata, fidelis
Exq; fide debet certus, & esse potest.